

V c
612



h. 7, 72.
F. V. I, 72.

I, 175

Vc
612

Q. B. V. D:
De
ELECTORALIS DOMUS
SAXONICÆ,
PRO
SCHOLIS & ECCLESIIIS
Cura ac Magnificentia,
PANEGYRICUS,

ipso die
DIVO ELECTORI MAURITIO

quondam Emortuali,
Solenni ritu dictus habitusq;
WITTEBERGÆ,

In
TEMPLO CATHEDRALI
a
GEORG. CASP. KIRCHMAJERO
Eloqv. P. P.

A. R. G.
cl. lbc. LXV.



Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ.
Typographi.



171

171

G. M. V. D.

ELECTORALIS DOMUS

CHORUS & BOBES

Curia de ...

HANNEBURY

DIRECTORIUM

TEMPO ...

CONSTITUTION

171

...



SERENISSIMO ELECTORATUS SAXONICI
HÆREDI,
ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
DN. JOHANNI GE-
ORGIO TERTIO,
SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ,
MONTIUMQVE
DUCI,

LANDGRAVIO THURINGIÆ;
MARCHIONI MISNIÆ,
SUPERIORIS ITEM AC INF. LUSATIÆ;
BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI;
COMITI MARCANO ET RAVENSPERG;
DOMINO IN RAVENSTEIN

&c. &c. &c.

DOMINO SUO CLEMEN-
TISSIMO,

Piâ & obsequiosamente

D. D. D.

Georgius Casp. Kirchmajer.

SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE PRINCIPIS
AC DOMINI,

DN. JOHANNIS

GEORGII, SECUNDI,

SAXON. JUL. CLIVIAE, MONT.ꝯ;

DUCIS,

S. ROM. IMP. ARCHIMARESCHALLI,

atq;

ELECTORIS,

&c.&c. &c.

Excellentissimi Legati,

PRÆSES

LIB. BARO MAXIME ILLUSTRIS,

DOMINE GENEROSISSIME,

*Summè item Reverende, Nobilissimi juxta
& MAGNIFICI VIRI,*

Domini Patroni atq; Promotores

æternâ pietate venerandi,

Tuq;

RECTOR MAGNIFICE,

Patrum item atqve Conscriptorum,

Civium deinde Academicorum

AUGUSTISSIMA PANEGYRIS.



SIve hodiernum ipsum diem, qui or-
 thodoxiae Lutheranae Hectori, DE-
 VO MAURITIO ELECTORI,
 cum pro Religionis, pro Imperii Germano-
 rum libertate, Heros invicta cecidisset ma-
 nu, emortalis rediit, devota aestimatione re-
 petamus animis; sive sollemnissimum con-
 ventum hunc, qualem intra dimidii, octo
 minus annis, seculi decursum, nemo No-
 strum, arbitror, in hac vidit Academia, felici
 prosequamur omine; seu denique incompa-
 rabilem Tuam, Serenissime ELECTOR,
 JANE GEORGI, SECUNDE, PATER PA-
 TRIAE, pro Scholarum incrementis, curam,
 obsequiosa veneremur gratitudine: non est
 profecto committendum, ut haec votis aliis
 faustisque acclamationibus dicata cathedra,
 hoc toto celeberrimum orbe, ex Luthero
 suo, templum, jam omnino conticescat. Ta-
 met si ego quodvis experiri potius, quam in
 splendidissimo consessu hoc, coram tot sum-
 mis doctissimisque Viris, non nisi grandia
 spectantibus, verba sustinuissem facere in
 B pra-

(2)

præfens; ut eorum tamen expectationi, quorum mihi pro imperio voluntas est, memet subtraherem, nec potui ratione ullâ, nec debui committere. Infantiam deploro meam, quæ inopinatam officii necessitudinem subire, quàm filere cum dedecore, ac id propter solâ obsequendi gloriâ placere, præoptavi. Enimverò si vel festi temporis mecum reputo memoriam, vel præsentis argumenti gravitatem paullo altiùs expendo; vel tot tantorumque Auditorum excellentissima judicia formido reverenter; nisi per gratiam benevolentiamque vestram veniæ facultas constet, non mihi non audaciæ impingenda culpa videatur: cum tot annorum, tot voluminum materiem, in unicam vix horam cogere conatus sim. Inter tot pericula constituto, quanta excusandi, trepidandi, deprecandique nomina obvenerint, nemo est, qui non intelligat. Unum imprudentiæ solatium à pietate, quâ fretus, ad has cerimonias solennes humiliter invito Vos, dependet. De cætero, ut quicquam digni exquisiti que abs me aut inveniri aut hic in medium adferri possit, non est cur speretis. Dicturus equidem de argumento nec non magnifico, nec ab hac celebritate

(3)

britate planè alieno, sed ita sum dicturus, ut non minùs validis invictisque documentis, quàm sermone simplici & affectatæ ostentationis nescio, ELECTORALIS DOMÛS SAXONICÆ incomparabilem, pro Scholis & Ecclesiis curam simul & magnificentiam, quantâ valeo animi demissione, prædicem. Quâ in re quicquid displicere propter præconis exiguitatem poterit, propter immensorum conscientiam beneficiorum, optimis quibusque subditis complaciturum esse, confidenter admodùm pronuntiabo. Te igitur, PRÆSES EXCELLENTISSIME, DOMINE GRATIOSE, ac Vos, tam celebrium nominum dignitatumque Viri, per tot sanctissima Electorum Heroumque Saxoniorum exempla, meritaque rogo & obtestor, ut non tam concinnitate stili, quàm obsequii religione, meam, ad breve tempus, dictionem, pro æquanimitate vestra metiamini.

Nongenti jam propemodùm elapsi anni sunt, ex quâ temporis longissimâ intercapedine, populos Saxonicos Germanosque; alios à paganismo ad sacra Christiana, divinisimis auspiciis traduxit, relapsosque; in avitas super-

B 2

stitio-

(4)

stitutiones revocavit, ipsumq; tandem WITE-
CHINDUM Principem lucrifecit MAGNUS ille
CAROLUS. Cùm antehac idola, Crodo vi-
delicet nec non Irmenfula, à Saxonib9, ut à vi-
cinis Vandalis Juterbuch, Zcernebuch & Tri-
glas, à Rugianis Svantovitus, barbara & in-
fausta nomina adorarentur. Mirabatur orbis
felicem metamorphosin, quòd contumacis-
simam absurdi cultûs rationem, incredibili
pietatis sensu damnavisset Witekindus. Wi-
tekind9 inquam, Saxonum Angrivariorum,
summâ potestate Rex olim; qui, ut primum
per supernæ lucis radios, è tenebris ereptus
infidelium, sanctissimo lavacro tinctus, tem-
plum & Collegium postea Canoniorum, fi-
liusq; ipsius Witekindus Secundus, Saxonix,
post Regem Patrem primus Dux, adversus
Slavorum Soraborum minas, anno post na-
tum mundi Servatorem 780. circiter, oppi-
dum arcemq; WITTEN (unde nomen WIT-
TEBERGÆ huic nostræ mansit, longaq; serie
Marchiones de WITTEN etiam descendunt)
condidit. Non ita multò post ex Regiâ WI-
TIKINDORUM domo familiâq; prognatus Ot-
to, Ottonis Magni Avus, Henrici Aucupis
illius Saxonum & Thuringorum Ducis, ac
Impe-

(5)

Imperatoris Germanorum pater. De Ottonem I. Augustissimo, ex infinitis factis aliis Heroicis Imperatoriâq; Majestate dignis, istud reticendum minimè videtur, dum, ut Dithmarus ait: Episcopatus construxit senos, erexitq; Archiepiscopatum Magdeburgicum. Sed quos non deinceps etiam in Scholas & Ecclesias magnificos impendere sumptus Otto II. III. Henricus quoq; II, rectores orbis ac Imperatores? Quos, vel ideò nominandos duxi, ut illos ultimos Progenitores Necesariosq; Tuos, JOHANNES GEORGI SECUNDE, ELECTOR, Cæsares, Reges, Duces, à quibus sanguinem indelibatam trahis, in memoriam æternæ laudis majestatisq; revocarem. Et jam quot Saxoniam, quot Germaniam totius fulmina, quot magnitudinis humanæ modum supergressos Principes, ipsosq; adeò Heroas & mistos Deo homines, ne videar propositum migrare meum, silentio præterire cogor? istos multò antiquissimos, Dietgremum videlicet, Dietmarum, Dietericum, Dedones, Gerones, Conrados, Thimonem, Ottones, Fridericos? Electoralis enim duntaxat domus Tuæ admirari Magnificentiam, & colere venera-

C

bundo

bundo animi affectu pro Ecclesiis Scholisq;
 curam, initiò ingresus sum. Tertius & qua-
 dragesimus, supra ducentefimum, hic annus
 agitur, cum Albertus III. Rudolphi III. frater,
 ex Electorali Principum Anhaltinorum do-
 mo ultimus, inter mortales desiit: tum ad-
 mirabili Fatorum Misnicorum privilegio,
 Augustale axioma simul cum Saxoniam su-
 periori atq; VVitteberga, ab Anhaltinis, ad
 Thuringiam Landgravios & Marchiones Mis-
 niam, nominatimq; primò ad Fridericum, co-
 gnomento Bellicosum, Fridericorum, Stre-
 nui quidem filium, Severi nepotem, & pro-
 nepotem Animosi, transiit. Hic ille FRIDERI-
 cus æterni Imperii Septemvir est, qui ex Pra-
 gensibus ruinis, antiquam Lipsiæ Academi-
 am primus omnium aperuit, ædificiis publi-
 cis ornavit, amplissimis redditibus donavit,
 accessionibusq; ex Episcopatibus Misnen-
 si, Martisburgensi atq; Numburgensi, indultu
 Pontificio, pro seculi istius indole, dotavit:
 tres Theologos, totidemq; Juris Profesores,
 in Canonorum ordinem adscripsit. Non
 solâ scilicet armorum gloriâ contentus, cum
 fortitudine in primis bellicâ excellisset He-
 ros, per literas, per studiorum officinas, no-
 minis

minis quærebat immortalitatem. Cui enim bono expetat, ingentia virtutum spatia conficere, nisi sint, qui æternis annalium monumentis memoriam famamque servent: sapiens Platonis vox fuit: illas demum felices Respublicas futuras, ubi vel, qui philosophantur, regerent; vel, qui regerent, philosophentur. Hoc & Ægyptij, omnium, ut videbantur, hominum antiquissimi, intellexere, qui auctoritate Regis insignem Heliopoli Academiam instituerunt: quæ post multa demum secula, per Ptolomæum Philadelphum translata Alexandriam fuit, ubi tanto Regis opere, magnificentia ejusdem crevit, ut ex omnibus mundi angulis, ad eam viri juvenesque convolarent. Hiique postea in loco amoenissimo, quem Musæum vulgò nominabant, ex publico sustentabantur. Simul & Bibliotheca adfuit, in quâ, ut traditur, septuaginta millia librorum visebantur. Phoenices cum maritimum sine controversiâ imperium tenerent, in nullo non scientiarum genere excellerunt. Ab iis primam Græci cognitionem literarum, Cadmi ope acceperunt. Philippus Macedo sic filium educabat Alexandrum, ut auscultaret Aristoteli, daretque operam Phi-

Iosophiæ: & Alexander ipsemet cum belli
 gloriâ fulgeret, sic ad Philosophum scripsisse
 legitur: malle se doctrinâ, quàm imperij ma-
 gnitudine cæteris antestare; juxta illud Co-
 mici: *διπλῆν ὀρώσιν οἱ μαθόντες γράμματα.* Persarum
 gens à primò statim pueritiæ, quæ discipli-
 narum maximè est capax, limine, Reges suos,
 adhibitis, præter magistros literarum, quatu-
 or Viris optimis ac Magis, tradidit. quorum,
 qui divinos inculcabat ritus, prudentissimus;
 alter, qui regendi severissimas profitebatur
 artes, ut veritati potissimùm justitiæq; ope-
 ram navaret Princeps, identidem commo-
 nefaciens, justissimus; & qui à voluptatum
 vagis & servilibus arceret delicatorem ge-
 nium, temperantissimus; quartus deniq; for-
 tissimus, qui ingentia Virorum celeberr-
 morum facta animo imprimeret, salutaba-
 tur. Longum & diei vix unius opus foret, per
 plures alias hic ire nationes. Hoc allegasse fa-
 tis fit: haud ullum facilè Heroa, qui non elo-
 quentiâ in primis aut literis politioribus emi-
 nuisset, insignesq; vel Academias, vel Biblio-
 thecas erexisset, extitisse. Eumenes profectò
 Attali istius Regis filius, impensis supra du-
 centa millia librorum maximis, conq; viri aut
 describi

describi jusfit. Vivit itaq; post cineres & sce-
 ptra, Pergameni Principis, per libros, gloria
 ac virtus. A Ptolemæis Alexandria Regibus,
 septingenta ferè millia voluminum collecta
 esse, Gellius observat. Constantinum Ma-
 gnum Imperatorem tradunt, cum libri plu-
 rimi injuriâ istorum temporum exusti es-
 sent, sumtibus magnificis omnes Constanti-
 nopoli Bibliothecas locupletasse noviter.
 Quid in excitandis pasim Scholis, Parisiensi
 maximè, Francorum Romanorumq; Rex &
 Germanorum Imperator Carolus statuerit,
 filere, quàm pauca dicere, fortassis præstat.
 recentius Matthiæ Hunniadis Corvini, Regis
 Hungariæ exemplum est, qui & inter media
 armorum natus, & in ipso Martis gremio nu-
 tritus, militem se esse non putavit, nisi Mûsas
 strenuè amplecteretur: Regem se esse, nisi
 & libros immensos possideret, & literatos
 coleret, vix credidit. Evocatis igitur ex Italiâ
 Germaniâq; bonarum artium antistitibus,
 Budæ, & in ipsâ regiâ dignam admiratione
 Bibliothecam instauravit; pulcherrima arbi-
 tratus Majestatis ornamenta, quæ instru-
 menta fierent æternitatis.

D

Sed

Sed quorsum hæc tam operosa, per excursus istiusmodi, probatio? quærat aliquis, & jure quærat. Nimirum ut non in Ægypto, Græcia tantummodo, aut alibi terrarum, priscis illis seculis, sed & avorum, & nostris his etiam temporibus, in Germaniæ medietate, in Electoratu inquam hoc Saxonico, Philippos, Alexandros, Ptolemæos, Constantinos Carolosque; Magnos extitisse, invictis rationibus exemplisque; doceamus. Constitit de FRIDERICI Bellicosi simul & piissimi Electoris, in fundanda Lipsiensi Academia, sapiente instituto. Et jam me, nescio quis religionis, quis venerationis ardor ad FRIDERICUM III. Augustum, hujus, hujus inquam Academiae Conditorem abripit: cum de FRIDERICO II. tamen, qui & Medicorum, novo tum collegio Scholam Philyræam auxit, & loco quingentorum ex Electorali Camera florenorum, tres illi pagos in solidum concessit; de quo ERNESTO, Divi FRIDERICI III. Parente nequicquam adhuc memorarim. Digna res observatione fuit, quod paucis, ante introductam hoc loco Universitatem, annis, de quodam venturo Imperatore Friderico, sepulchrum Domini vindicatoro, aperturoque;

vati-

(II)

vaticinium tunc temporis circumferretur. Nempe hoc in FRIDERICO III. completum fuit; qui, ut religiosus seculi istius error tulit, unâ cum Christophoro Bavariæ Duce, Palæstinam adiit, & in patriam redux, unâ cum JOHANNE fratre, divino Academiam institutu excitavit. Circumibat tùm in Saxoniam, Raimundus Payrandus, natione Gallus, Cardinalis & Episcopus Crucensis in Carinthiam, Alex. VI. Romani Præfulis Legatus, nundinasq; indulgentiarum (quas vocant) & fordissimas profitebatur artes, Principum deinde (ut solet istud genus hominum se immiscere alienis) civitatumq; controversias componens, & Magistratus singulos ad suscipiendum consilio communi bellum, adversus Turcam excitans. Is Ernestum Episcopum Magdeburgensem, ut Fratri Friderico Saxoniam Electori, illustris Scholæ inchoandæ existeret hortator, graviter admonuit. FRIDERICUS igitur cum & ingenio, & sapientia excelleret, & literas calleret ipse ac amaret, MAXIMILIANI etiam Imperatoris, qui in Comitibus aliquoties hortatus Electores fuit, ut in suis quisque ditionibus Academiam conderent, auctoritate exemploq; motus, Doctore Mellersta-

D 2

dio

dio cum primis (quem, ut ipsius poscit dignitas, honoris causâ nomino) Johanne Staupitio deinceps negotium instantissimè urgentibus, solenni ritu Academiam, duodevicesimo Octobris die, anno, supra sesquimillesimum, secundo auspiciatur. O æternis dignam annalibus rem! O institutum divinisimum! O incredibili sapientiâ & magnanimitate Principem! Hic, hic ille contemptus primò, nunc universo admirandus orbi locus, divinas humanasque omnis generis incorruptissimas scientias, ipsos etiam Sospitatores suos Electores illustravit postea. Hic ille Albus mons, brevi deinceps Sapientiæ, in omnem latè mundi angulum emisit flumina; ut in ipso consecrationis die, prope modum vaticinatus sacer mysta est. Sic videlicet supremo munerum distributori Deo visum erat, ut propriam & incomparabilem hanc gloriam Electorali Domui Saxonicæ servaret. Magnum oppidò & ad virtutis Tuæ consummationem efficax, gloriosissime Princeps, documentum fuit, cum Imperium Romanum Tibi, pridie, quàm CAROLUS, post Magnum, MAXIMUS designaretur, oblatum Francofurti est: quod ingenti tamen excelsoq;

celsoq; recusabas animo; clarior future, ex
 delatâ, quam deprecabarîs, Majestate, quam
 si per Septemvirorum, Tuorum, Domine,
 Collegarum desideria, suscipere voluisses.
 Jam grandius quid & sacrosanctius Tuæ Do-
 mui servabat apparabatq; Coeli indulgentia.
 Ut oraculorum divinorum vindex semper
 & custos, ut literarum situ immani & squalo-
 re obrutarum tunc, alma nutrix gens Tua
 illustrissima existeret, ex factorum destinatio-
 ne fuerat. Quod verum ad eò & est, & fuit, ut
 ipse Leo Pontifex exaratis ad Te, FRIDERICE,
 » literis, disertis hisce testaretur verbis: inter
 » alia Saxonicae domûs ornamenta, proprium
 » hoc illi semper hætenus fuisse, quòd religio-
 » nis observantissima haberetur. Tulisti pie-
 tatis fructum, Dux inclute ac felix, dum ex
 tenebris papalibus, plusquam Cimmeriis, su-
 pernae lucis radios, ministerio Lutheri, in late-
 patentia universi regna & imperia diffudisti
 primus: nec passus es, ut, quod à Cæsare &
 Pontifice intentabatur fulmen innocentissi-
 mo Doctore, nocere ullâ ratione posset: mo-
 dis eum omnibus asseruisti, prudentiq; simul
 & salutari stratagemate, in Wartburgensem
 Pathmon arcemq;, divinum abdidisti virum.

E

Et

Et jam ad Augustissimum JOHANNEM, tuum, FRIDERICE, Fratrem, video non intemptivè mihi transeundum esse. Hic, hic JOHANNES ille, Elector animosus est, qui, cum in suis passim ditionibus, disfidia religionum invalescere animadvertisset, visitandis juxta ac in meliorem refingendis statum Scholis Ecclesiisq; illicò incubuit. Mox etiam ad Imperii comitia, profectus Spiram, incredibilem orthodoxiæ Lutheranæ omnibus fervorem patefecit suum. Nec diu post, Augustam Vindellicorum (quò nemo eum equeidem arbitrabatur profecturum) unà cum JOHANNI FRIDERICO, ingentis exempli atq; expectationis filio, primus omnium ferè Principum Germaniæ, ad frequentissima Comitata ingressus est. Primum hoc Electoralis magnanimitatis documentum; alterum istud fuit: cum gravi Imperatoris CAROLI interminatione, à frequentandis publicis concionibus absterrentur Principes, non solum heroico testificatus animo JOHANNES est: non minus carere se oraculis divinis, quàm quotidianis alimentis posse. Suapte ergò manu homilias publicè privatimq; habitas, in codicillos, quos habebat secum, sæpe ne verbo quidem

quidem prætermisso, adnotavit. Sed istud inauditum omnibus retrò seculis exemplum magnanimitatis fuit, quo propter Lutherum, & approbata ejus dogmata, exofus jam Imperio Romano Princeps, paucorum (ut inde vocabantur) Protestantium suffragio stipatus, tanto, quantum erat Carolus, Monarchæ, imperterrito & non nisi entheo ardore, rationem fidei & confessionem scripto pariter & voce, publicè exhibuit: vitam simul & sanguinem, ac, si necessitas requireret, Electoralem quoque Eminentiam, pro illâ positurum se, præfatus. Vix capere excelsi spiritûs hoc dictum, summi optimique Auditores, quisquam potest, nisi is etiam, cui tam constanti pietate contradixerat Johannes, paullo diligentius consideretur. Non scilicet æqualis Princeps, non Romanus Archipræsul tantum, sed CAROLUS V. Imperator Germanorum, Romanorum Rex, Hispaniarum, Belgii & Indiarum potentissimus Monarcha inquam fuit. Hoc fortiorem, hoc augustiorem, ab excessu Magni Caroli, non vidit, non habuit Germania. Hunc Europa, Africa partim & Asia, atque immenso dirempta Oceano America exhorrescebat. Hunc

novem vicibus Germani, senis Hispani, Itali
 septenis, & quaternis Galli vicibus, victorem
 æquè ac triumphatorem viderant. Testor
 humilimâ devotione manes Vestros beatis-
 simos, qui hîc pone sepulti estis, ELECTORES
 FRATRES, FRIDERICE & JOHANNES, ut, dum me
 nescio quæ formidinis horrorisq; ferè ad si-
 lentium, religio ex viciniâ invadit, liceat de
 pilis vestris, de sublimatis ad dextram fini-
 stramq; imaginibus, elogia adferre ista in-
 compendio nunc:

Ante petet cursû Bojemica rura supino,
 Unde in Saxonicos defluit Albis agros:
 Incluta quàm possit meritorum fama tuorû
 Occidere in populis, Dux FRIDERICE, tuis.
 Aurea viderunt hæ gentes secula, regni
 Dum Tibi Saxonici sceptrâ tenere datum
 Fovisti spretâ hâc tempestate Camenas, (est.
 Unicus & studiis præmia digna dabas.
 Namq; tuo sumptu flavum Schola condita
 ad Albim est,
 Ut vitæ verum traderet illa modum.
 Hîc Evangelii primùm doctrina renata
 Deterso cæpit pura nitere situ.
 His tibi pro meritis gratâ præconia voce
 Posteritas omnis, virq; puerq; canent.
 Nulla

Nulla tuos unquam virtutes nesciet ætas,
 Non jus in laudes mors habet atra tuas.

Tu quoq; Saxoniae JOHANNES inclute Prin-
 ceps,

Non virtute minor cognite Fratres tuo:
 Eximiã Christum pietate fideq; colebas,
 Vita piæ mentis testis eratq; tua.

Vindelicis coram tua Cæsare semper in oris
 Asseruit Christi lingua professa fidem.

Notior ut fieret divini gloria verbi,
 Temporibus fulsit quæ rediviva tuis.

Utq; Evangelii studium deponere velles,
 Flectere non ullæ te potuere minæ.

Ista tui incendit constantia pectoris hostes,
 Attulit & passim multa pericla tibi.

Ergo tuum à nullo nomen delebitur ævo,
 Nec meriti laus est interitura tui.

Seqvitur nunc Constans & magnanimus JO-
 HANNES FRIDERICUS, religiosissimus idem, sed
 infelicissimus simul etiam Elector. De cujus
 forte antequam in medium quid afferatur,
 de cura, magnificentiaq; ejus pro Scholis &
 Ecclesiis, incomparabili, dicere non nihil ha-
 beo necesse. Nondum excesserat ex ephebis
 generosa indoles, cum ab illustrissimo Geni-

F

tore

tore precibus contenderet subinde, patere-
 tur quæso, ut more adolescentulorum è vul-
 go Torgæ, cathegeseos in publico recitare
 fundamenta sibi liceat. Emicabant scilicet in
 tenerâ ætate celestes illi fomites, in flammam
 erupturi aliquando. Citiùs gloria cum eò,
 quàm ætas adoleverat. Solet haud rarò aliàs
 & potentia, & opum, & summi generis con-
 scientia animis imponere juvenilibus; ut vel
 ocii dulcedine langventes, omnis generis se
 dedant voluptatibus, ac velut jam satis illu-
 strati, obscurissimis ætatem illam curis occu-
 pent. Sublimiores spiritus gerebat celsitudo
 animi ipsius: unde factum postea, ut ad so-
 lennes Imperii conventus, Augustæ, Ratis-
 ponæ, Spiræ, Wormatiæ, Hagenoæ, Svevo-
 phordi, Noribergæ, Francofurti &c. religio-
 nis asferendæ causâ, vel ipsemet, vel per Le-
 gatos compareret. Centum pueris nobilibus
 civilibusque, ut Wittebergæ studiis nava-
 rent operam, quinque & viginti, singulis sin-
 gulos per annos, exhiberi jusserat florenos.
 Idem Templum hoc, pagosque illos omnes,
 quos ex Rudolphi Anhaltini munificentia,
 Canonorum sibi ordo vendicabat, Aca-
 demia donavit: Fisco promotionum (ut vo-
 cant)

cant) per Fridericum I. instituto, Fiscum fundationis addidit, dictionemq; juris super eos ipsos vicos concessit Universitati: Synedrium etiam Ecclesiasticum instituit. Monstrum religionis (liceat vocabulo monstrofiore uti) interimisticae cothurnum, nec probavit ita, nec recepit, quin toto eum pectore averfaretur. Hinc cum, quid facto opus esset, Principum intelligentissimus non ignoraret; quando nec precibus, nec quibuscunq; mediis honestis quicquam amplius Protestantium obtinere ordo poterat; ad defensionem per arma necessariam, animum applicuit. Smalcaldiae conventum igitur indicit; nec tamen aliquot post annis, ad comitia Spirensia non venit, Caesarem clementissimum habere visus, quasi omnia, quae peteret, impetraturus foret: pactorum nempe dotalium cum Clivenfi confirmationem, jusq; in illius succedendi ditionibus, conjugium deinceps Eleonorae Ferdinandi R. filiae cum Johanne Friderico, majore natu filio; dummodo de religione conveniret prius. Quanta, Deum bonum! haec pollicitationes, & quanta pulcherrimae spei argumenta! sed nec quicquam enim vero magnanimum

Heroa permovere, invitareq; ad prophani-
 tatem potuerunt. Detonat propterea in exi-
 tiale bellum horrida tempeſtas, fit claſſicum,
 expeditur in utramq; partem miles: oppres-
 ſus ſagaciſſimâ celeritate Caroli, Johannes
 Fridericus ad Mülbergam capitur, Electorali
 dignitate ſpoliatur, captiv9 abducitur Augu-
 ſtam, toto ibi quinquennio, appoſito custo-
 de, milite extraneo detinetur, ſolius MAURI-
 TII Succesſoris & Agnati fortitudine liberan-
 dus. Hic, hic MAURITIUS Elector, Germaniæ
 totius liberator, religionis vindex, triumphator
 Caroli, & Imperio formidatum nomen
 fuit; qui in tuam, JOHANNES GEORGI SECUNDE,
 Illuſtriſſimam familiam, ſacrum Imperii en-
 ſem primus intulit. Viderunt, viderunt iſta
 tempora in MAURITIO, Camilli, pro patriâ
 amorem, celeritatem Alexandri, prudenti-
 am Fabii, auctoritatem Scipionum, magni-
 ficentiam Pompeji & ipſius Cæſaris victori-
 as. Principis gloriam ut animi tollit magnitu-
 do mirificè ac conſummat; ſic circumſpe-
 ctio, quâ rem publicam tuetur ſartam te-
 ctam, immenſum addit decus. Tenet ſanè,
 quamdiu poteſt, gubernator curſum: cum
 aut ſcopuli apparent, aut imperioſum æquor
 æſtuat,

æstuat, flectere non nihil, & necessitatibus parere, ne vel frangat penitus, vel mergat navem, cogitur. Fecisti idem, Divine MAURITI, tum, cum veritatis Evangelicæ moverentur cardines, & laxatis jam compagibus, naufragium propemodò navicula Lutheranorum minaretur: cum Te in procellas Palinurum, in monstra Herculem, fausta Numinis auspicia immisere. Sol Principum exortus es, dispulisti noviter invalescentes tenebras Papales: sic successisti Jano Friderico, ut captivum brevi liberares; sic circumdedisti Magdeburgum, ut vim ne quidem minimam afferres orthodoxis civibus; sic coluisti Cæsarem obsequio, ut potioem Dei semper curam gereres; sic Oeniponte, trepidantem Carolum fugasti, ut non læderes ipsius Majestatem, sed meliora mollioraq; doceres. Servavit itaq; Te coeli gratia, ut è conciliabuli Tridentini faucibus, Pontificiâ tyrannide, & Hispanorum jugo Agnatum Electorem Principem, patriam deinde ac religionē, universam deniq; Germaniā eriperes, vindicares, tuerere. Nec quievisti ante, quàm felici futurorum omine extorta Pasaviensis transactio fuisset. Eat jam Episcopus Osimanus, qui Carolo Monarchæ primùm à confessionibus quoq;

G

fuit,

fuit, dicat eidem atq; conqveratur: tam altas a-
 deò radices Lutheranorum sectam jam egisse,
 ut, nisi maturè eiq; viderem coherceatur, omnem
 mox pervagatura orbem sit. Tibi, post omni-
 potentem Deum, Augustissime MAURITI, sa-
 lutem nostram, tibi omnia debemus. Tu, tu,
 pro Germanorum, pro Lutheranorum inco-
 lunitate, sanguinem vitamq; triumphatrice
 manu, hoc ipso, ante centum & bis senos an-
 nos, die, inter octavam & nonam antemeridia-
 nam, posuisti. Meruisti jure igitur, ut hæc ad o-
 mnem memorabilis posteritatem lux, festa
 semper atq; grata celebretur. Haberem pluri-
 ma, Excellentissimi Legati, Vosq; omnium or-
 dinum honoratissimi AUDITORES, de AUGU-
 STO, CHRISTIANO I. & II. JOH. GEORGIO I. &, quem
 æternum Numen diu sospitet, JOH. GEORGIO II.
 Electoribus, dicenda: sed nec unius clepsydræ
 hoc institutum, nec vestrâ mihi abutendum
 gratia benevolentiaq; auscultandi est; & dabi-
 tur hæc operosius commemorandi aliàs facul-
 tas. Faciam proinde, quod magistri numero-
 rum solent, qui, ne in ambages desinant, abe-
 antq; in molem rationes, eunt per summas, se-
 quuntur compendifaciendi artes, ut collecta
 tantùm indicent. Et mihi plus insinuandum,
 de

de Augusto Augustissimisqve Successoribus,
 quàm eloquendum. Quis enim firmam reli-
 gionis inviolabilemque pacem peperit? Augu-
 stus. Quis concessa Wittebergenfi Academiae
 privilegia ornavit magis, auxit, ampliavit? Au-
 gustus. Quis stipendiariorum in re literariâ
 numerum extendit, & novas quatuor Philoso-
 phiæ Professoribus accessiones addidit? tot
 modios frumenti in communem mensam
 contulit quotannis exhiberi que ordinavit? Au-
 gustus. Quis Collegium porro Augusteum
 cum pagis aliquot donavit Universitati? Au-
 gustus. Quis tot æternæ veritatis gratiâ, Theo-
 logorum passim, Dresdæ, Torgæque ac Lichten-
 burgi, ut ab ovibus lupi, ab auro scoriæ separa-
 rentur, Synodos indixit? AUGUSTUS; AUGUSTUS
 nusquam non allegatur. Jamque ad TE, CHRIS-
 TIANE I, sed præmaturo nimis obitu crepte no-
 bis, transeundum. Cùm observantissimus justi-
 tiæ administrandæ Princeps eses, sacratis-
 marum legum arbitros oraculaque Dicafterii
 Lipsiensis pariter & Leucorei, limitibus utilis-
 simis ac regulis constituisti: nec solus Acade-
 miam ἀσύμβολος non remuneratus es. Cùm &
 majorem stipendiis addidisses cumulum, &
 florenos mille in Oeconomiam largiorem
 habui

usum deputasfes, majora citra dubium, si diu-
 turniorem fata vitam concessissent, patratu-
 rus. Et verò quid non ejusdem nominis Ele-
 ctor potentissimus CHRISTIANUS II. in stabilien-
 dis, amplificandis, cumulandisq; Academiae
 prærogativis clementissimè indulfit? Quas
 non in viros literatos celebresq; fecerat im-
 pensas? uberiore additurus sanè, si, quod iden-
 tidem desiderabat, destinato beneficiorum
 spatio supervixisset. Compensavit hoc omne
 tamen Serenissimus Elector JOH. GEORGIUS I.
 cui aut novos veluti natales Academia religio-
 que debet, aut nos hominum, si improbè dis-
 simulemus, ingratisimi habebimur. Longum
 enumeratu vel unum illud foret, quantâ pro
 incorruptæ fidei exercitio sollicitudine divi-
 nus laborârit Princeps. Jam literarum ac sa-
 pientiæ Antistites, quàm honorificè, quàm co-
 miter, quàm liberaliter excepit? quàm privile-
 gia eorum & confirmavit ampliter, & mirificè
 adauxit? In quibus perpetuâ vehendum lau-
 de illud etiam, quòd hospitiorum & intribu-
 tionum militarium, Profesores cum familiis
 ipsorū atq; fundis, immunes non solummodò
 pronuntiavit, sed & commercialium aliarum-
 que ad cotidianos vitæ usus rerum vectigalia
 indul-

indulgentissimè remisit. Videbatur animam propemodùm jam agere hæc Schola, cùm tricenali bello undique & undiq; vastatus ager, exhausta patria esset: servavit eam ab integro ac fovit Dux JOH. GEORGIUS Elector. Et nihil adhuc de antiquissimi Herois periculis, laboribus, impensis, curis, propter religionem exanthlatis, nihil de publicarum precum festis, nihil de conventibus Theologorum, deq; ordinatis Academiarum rebus diximus. Unus, tria aut quatuor, incomparabili exemplo, solennia indixit, celebravitq; jubilæa; in honorem gloriosi Numinis abrogatiq; Papatûs memoriam primò; hinc propter oblatam Cōfessionem Augustanam; insuper & propter sancitam in Imperio Romano pacem; denique & ob quietem religioni ante seculum concessam. Plena adhuc omnium ora pietatis, & gratitudinis profectò sunt: loquetur posteritas, & tantum Saxoniae Germaniaeque Fulcrum olim, æternâ gaudii significatione gratulabitur. Gratulatur præsens etiam hæc ætas, & in immensum sibi semper gratulabitur de Serenissimo JOHANNE GEORGIO SECUNDO suo, non Imperi-

IOHANNES

H

um hoc

um hoc sacrosanctum modo, non hæc Saxonia duntaxat, incorruptæ veritatis perantiqua nutrix; sed hæc in primis Academia, cujus & conservando, & ornando, & instaurando felicitatem, piissimus Pater, potentissimus Elector, curâ sumtuq̄ve incredibili profecq̄vitur & in majus evehit quotidiè. Percipitis indulgentissimi Nutritii plus quàm paternam providentiam & voluntatem. Nunc ut & curam Ejus ac magnificentiam intelligatis unà, brevi eq̄videm elaborabo. Omnia, à primo Academiae hujus conditu privilegia, Professorum ab oneribus immunitates, frumentarias & cerevisiarias concessas antea largitiones, 5. millia Imperialiũ ex multis Curia Electoralis, totidemq̄; millia ex residuo stipendiorum, &, audite! quindecim Joachimicorum mill. ex vacantibus nobiliũ feudorum beneficijs, huic Academiae, ut dilectæ filiae, potèti manu cõfirmavit. nec finis beneficiorũ. Idẽ illustrissimus Elector JOH. GEORGIUS II. est, qui tuo in primis, CAROLE Præses, ministerio, tuâ, quâ es incredibili dexteritate, & ab infami Pennalismo, opprobrio communi, malo pestilentissimo, & inexpugnabili, ut diu u-

niveri

niverfis ferè videbatur, Academias purgavit, liberavit, & antiquæ gloriæ restituit. Idem Serenissimus Elector JOH. GEORGIUS II. est, qui tuo iterum, LIB. BARO, moderamine, haud ita pridem, provinciales ludos, Misnensem, Portensem, Grimmensem etiam; Academias deinde, Lipsiensem ante annos aliquot, & in præsens hanc Wittebergensem, per Legatos splendidissimos inspicere, corrigiq; in meliorem ubiq; statum, gratiosè admodum decrevit. Tanta hæc & tot profectò beneficia existunt, ut nec numerum, nec modum, quo devotæ gratitudinis se liberare debito hæc possit Universitas, ullum equidem inveniat. Agit ergo, quanto valet, submississimo affectu, immortales gratias, pro curâ hæc, pro munificentia istâ, Augustissime OCTOVIR, quâ inde ab auspicijs tuis gloriosissimis, hucusq; prosecutus es Wittebergam, tot Electorum, ab ultimis temporibus, sedē, orthodoxiæ Germanam adhuc matrē, Saxoniae Athenas, pupillam tuam: & ut pupilla instantissimis Te obsecrat votis, subleves eandem porrò, & quæ immenso favore concessisti beneficia, ne in Harpyas & illos pecuniarum incidant.

H a

acci-

accipitres, atque adeò intervertantur, contra Tuam, DOMINE, majestatem, supremâ manu asseras! Ut, quam Tuis, PATER PATRIÆ, Celsissimis Progenitoribus gloriæ famæque immortalitatem majores nostri servaverunt, TIBI reddant posteri. Vobis etiam, Perquàm illustris PRÆSES, Viri deinceps summè Reverende, Nobilissimi & Magnifici, non ego tantùm & pro illustri præsentia hæc Vestra, & benevolentia auscultandi liberaliore, gratias ingentes ago habeoque; sed pro laboribus huc usque Vestris, pro molestiis, pro beneficiis denique omnibus, hæc Universitas, hæc Patrum ac Conscriptorum, hæc Civium frequens concio, majores dignioresque nuncupat, multoque petit opere, velitis, quæ Vestra æquanimitas est, hanc pietatem, hæc nostra omnium studia boni equidem consulere. De præmio cur dubitetis, non est. nec enim vel meritorum laudem, vel legationis splendidissimæ memoriam, hic Albis noster aut Elyster terminabit; effert eandem & dilatat ultra suum Hungarus Danubium, & Scythiæ vicinior Septemcastrensis Dacia. Nō Francorū Mœno, nō Rhenus sistit, nec Viadrus nō admiratur: ipse ultimus Germaniæ & Sarmatiæ Borysthenes, ac transmarina Daniæ, Sveciæ, Norvagiæque Regna, quorum apud NOS alumni Cives degunt, venerantur. Deum immortalem ex intimis animorū penetralibus obtestamur supplices & fatigamus precibus, dignetur hanc ELECTORALI DOMUI SAXONICÆ æternā aservare gloriā; tueatur Serenissimos Principes JOH. GEORGIUM II. JOH. GEORGIUM III. quoque, cū Illustissimâ Conjuge & Matre, totâque ac universâ Regia, Electorali & Ducali familia! Servet hanc VVittebergam, servet Sospitatores ejus, servet nos omnes.

D I X I.

Fragment of text from the adjacent page, including characters like 'a', 'l', 'i', 'a', 's', 'u', 'e', 'f', 'â', '&', 'a'.

ULB Halle 3
004 788 672


WDA



h. 72.

F. V. I, 72.

I, 175

Vc
612

Q. B. V. D.
De

ELECTORALIS DOMUS SAXONICÆ,

PAN


SIIS
ntia,
CUS,

Divo E

AURITIO

GEORC

ALI
HMAJERO



Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ.
Typographi.

